



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**D. Ioannes Evangelista. Rodolphi Gwaltheri Tigurini in  
Euangelium Iesu Christi secundum Ioannem Homiliae  
CLXXX.**

**Gwalther, Rudolf**

**[S.l.], 1568**

**VD16 W 1038**

Argumenta Singulorum Capitum Evangelii Secundum Ioannem: quæ  
adiungere libuit, ne postremæ paginæ inutiliter vacarent.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71827](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71827)

# ARGVMENTA SINGVLORVM

## CAPITV M EVANGELII SECVNDVM

Ioannem: quæ adijcere libuit, ne postrema  
paginae inutiliter vacarent.

- 1 **AETERNVM** Patris Verbum, Deus ipse perennis,  
Ex casta verus virgine natus homo est.  
Andream hic fortemq; Petrum magnumq; Philippum,  
Atq; doli expertem Nathanaela vocat.
- 2 Mutat aquas gelidas in dulcis pocula vini,  
Eijcit eiq; sacra lucra nefanda domo.  
Destruite hoc templum, lux istud tertia reddet.  
Hinc multos ad se per sua signa trahit.
- 3 **Dina** renascentis natura femina pandit,  
Et quari possit qua ratione salus.  
Corripit hinc Baptista suos, Ecclesia **CHRISTI**  
Sponsa est, quem solum debet & illa sequi.
- 4 Ad puteum cupido Samaritis pectore discit,  
Quam **CHRISTVS** sancto predicat ore, fidem.  
Multi illi credunt: curatur regius infans,  
Limina qui mortis iam subiturus erat.
- 5 Conualuit **CHRISTI** verbo, qui membra solutus  
Duxerat in morbo tempora longa gravi.  
Accusant scribe, sed se Patris ille tuetur  
Exemplo, atq; hostes arguit inde suos.
- 6 Millia multa cibant, fugit & regalia sceptrā,  
Et fluidas firmo mox pede calcant aquas.  
Sed anima panem esse docet credentibus, inde  
Deficiunt multi, discipulūq; manent.
- 7 Sub festum rediens Soly morum ad mœnia **CHRISTVS**  
In templo vicia mystica verba docet.  
Accusant alij, sunt qui illi vincla minentur,  
Non habet euentum res tamen ista suum.
- 8 Turpis adulterij fontem de morte redemit  
**CHRISTVS**, & est mundi luxq; salusq; simul.  
Degeneres Abrahæ natos reprehendit: eorum  
Effugit & rabiem, qui lapidare volunt.
- 9 Lumina restituit claro cum luminis vsu  
Illi, qui cæco lumine natus erat.  
Hunc mox excludunt Pharisei, **CHRITVS** at illum  
Excipit, & vera credere mente docet.
- 10 **CHRISTVS** ut est pastor verus, sic ianua vicia est,  
Vox cuius veras vnica ducit oues.  
Est Deus hic idem: lapides rapit impia turba,  
Attamen illeso corpore **CHRISTVS** abit.
- 11 Lazarus ex tumulo **CHRISTI** virtute resurgit,  
Confundunt stultos talia signa sophos.  
Vtiliusq; putant vnum quam perdidit omnes:  
Immerita huic ergo tollere morte student.

- 12 *Maria cenanti fragrantia balsama fundit.  
Proditor infelix murmura iniqua mouet.  
Ingreditur Solymas conscensa CHRISTVS a sella.  
Queritur à Graijs vita salusq; viris.  
Vox delapsa polo confirmat verba docentis.  
Mulcorum turbat gloria vana fidem.*
- 13 *Discipulis lauat inde pedes, animosq; superbos  
Deprimat exemplo, quod dedit ille, suo.  
Arguit & Iudam, fratrem suadet amorem,  
Atq; Petro lapsum prædicat inde suum.*
- 14 *Maxima proponit celestis præmia regni,  
Si superent forti tristitia quaq; fide.  
Insuper ætheri promittit numinis auram,  
Quæ doceat, moneat, roboret, atq; regat.*
- 15 *Institus ut viti palmes fert tempore fructus;  
Sic in me vera qui manet usq; fide.  
Annuet atq; Pater precibus: Contemnite mundum.  
Quod vobis faciet, fecit is ante mihi.*
- 16 *Iam vos probra manent, & dira pericula mortis;  
Officium at faciet spiritus usq; suum.  
Ferte graues igitur patienti corde dolores:  
Vici ego, & hinc vobis vincere posse datur.*
- 17 *Glorifica natum Pater, & nunc hocce tuetor,  
Qui me sublato tristitia multa ferent.  
Ipse vbi sum, mecum volo sint qui verba salutis  
Admittunt, vera suscipiuntq; fide.*
- 18 *Perfide Iuda venis? prosternitur impia turba,  
Qui modo pugnabas, postmodo Petre negas,  
Examinant CHRISTVM, respondens vapulat, inde  
Sistitur inq; domo præsidis Aufonij.  
Querit hic an Rex sit? CHRISTVS mysteria regni  
Explicat, iniusto Barraban ore petunt.*
- 19 *Multatus virgis spinosam fronte coronam  
Gestat, Iudæi verba nefanda tonant.  
Exiituro palo sublimis pender in alto.  
Et litrem ob titulum gens scelerata mouet.  
Commendat matrem, defunctum lancea corpus  
Perforat, in duro marmore tumba datur.*
- 20 *Magdalidi apparet viuens à funere CHRISTVS,  
Mox quoq; discipulis cernitur inde suis.  
Pneumaq; dat sanctum: sed tunc fors absfuit vnus  
Thomas, qui tacto credit & ipse Deo.*
- 21 *Comparet rursus Galileo in lictore CHRISTVS,  
Discipulisq; parat fercula digna suis.  
Restituit Petrum, cui fata futura recenset,  
Et monet ut forti pectore cuncta serat.*